

da placidae mihi sedis iter, meque hostia vestris
 conciliet praemissa locis. tu, nuntia sontum
 795 virgo Iovi, terras oculis quae prospicis aequis,
 ultricesque deae Fasque et grandaeva Furorum
 Poena parens, meritis regis succedite tectis
 et saevas inferte faces. sacer effera raptet
 corda pavor, nec sola mei gravia adfore nati
 800 arma ratemque putet; classes et Pontica signa
 atque indignatos temerato litore reges
 mente agitet semperque metu decurrat ad undas
 arma ciens: mors sera viam temptataque claudat
 effugia et nostras nequeat praecurrere diras,
 805 sed reduces iam iamque viros auroque coruscum
 cernat iter. stabo insultans et ovantia contra
 ora manusque feram. tum vobis siquod inausum
 arcanumque nefas et adhuc incognita leti
 sors superest, date fallaci pudibunda senectae
 810 exitia indecoresque obitus. non Marte nec armis
 aut precor ille mei nati dignatus ut unquam
 ense cadat; quae fida, manus, quae cara, suorum
 diripiat laceretque senem nec membra sepulchro
 814 contegat. haec noster de rege piacula sanguis
 822 sumat et, heu, cunctae, quas misit in aequora, gentes.
 815 adstitit et nigro fumantia pocula tabo
 contigit ipsa gravi Furiarum maxima dextra;
 illi avide exceptum pateris hausere cruorem.
 Fit fragor; inrumpunt foribus qui saeva ferebant
 imperia et strictos iussis regalibus enses.
 820 in media iam morte senes suffectaque leto
 821 lumina et undanti revomentes veste cruorem
 823 conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
 te, puer, et visa pallentem morte parentum
 825 diripiunt adduntque tuis. procul horruit Aeson
 excedens memoremque tulit sub nubibus umbram.